



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. An justificatio fiat per introductionem formæ inhærentis, vel per
solam justitiam Dei aut Christi nobis imputatam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

deleat, eorumque vulnera gratia sua medicamine sanet.

6. Ratio etiam suffragatur: Primo, quia si post justificationem peccata non essent in homine, ille simul esset iustus & iniustus: iustus quidem, quia proprius effectus justificationis est reddere hominem iustum, ut ex ipsius terminis constat; iniustus verò, quia cum peccatum deordinet hominem a Deo, est essentialiter iniustitia quadam & iniquitas: sicut gratia dicitur iustitia, quia ordinat homines ad Deum: unde si peccatum manet in homine post justificationem, revera facit illum iniustum.

7. Secundo, Deus passim affirmat se amare iustos, odio verò prosequi impios & peccatores: At si iusti haberent tantum peccata recta, & non deleta, reipsa Deus amaret impios & peccatores; cum amor, ut docent Philosophi, rapiatur ab objecto, seu feratur in objectum prout est in se: Ergo &c. Nec valet quod dicunt Hæretici, peccatores tunc iustitia externâ Christi tanquam vellet innocentia tegi, & sic esse objectum amoris divini. Non, inquam, valet: quia non obstant iustitia hac externâ Christi, qua dicunt tegi peccatores, illi non desinent a parte rei, & secundum Deum esse immundi & inquinati: & subindeque Deus in obiectum immundum, & inquinatum per amorem feretur.

8. Terriò, ex hac sententia Calvinus sequitur Ecclesiam non habere veram & realem remissionem peccatorum, sed tantum fictitiam, vel impropiam, contra hunc articulum symboli: *Credo unum baptisma in remissionem peccatorum; & contra illud Joan. 20. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Sequitur etiam, quod Sacramenta novæ legis non verè & proprie auferant peccata, neque mundent animam, contra illud ad Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquæ per verbum vite;* & illud Zachar. 13. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatorum; & mensurabitur:* quod SS. Patres & Scripturæ interpretæ exponunt de Ecclesia, in qua est Sacramentum penitentiae, omnibus fidelibus patens, quo vere remittuntur peccata, & omnia scelera sanguine Christi delentur.

9. Quartò, hæc sententia est iniuriosa meritis & satisfactionibus Christi, quia vult per imputationem tantum meritorum & satisfactionum non deleri sordes ipsorum peccatorum, sed semper in hominibus quantumvis iustificatis remanere.

10. Denique iustificatio, ut infra ostendetur, fit per infusam gratiam habitalem: Sed illa cum peccato est impossibilis, ut etiam infra patebit: Ergo impossibile est, quod post justificationem peccata in homine remaneant, & solum regantur, vel occultentur per iustitiam Christi nobis imputatam.

S. II.

Hæreticorum objectiones solvuntur.

11. Obijciunt imprimis hæretici varia Scripturæ loca, in quibus peccata dicuntur regi, & non imputari a Deo, ut Psal. 31. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum recta sunt peccata:* beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum &c.

Sed ad hæc facile respondetur, quod cum nihil sit opertum vel occultum oculis Dei, & omnia peccata nostra sint præsentia conspectui eius, juxta illud Psal. 89. *Posuisti iniquitates no-*

stram conspectui tuo, & sæculum nostrum (id est delicta ætatis nostræ) in illuminatione vultus tui; Idem est peccata nostra esse recta apud Deum, ac esse penitus deleta & ablata. Item cum iustitia Dei & lex æterna nullum possint peccatum impunitum relinquere, peccata quæ a Deo non imputari dicuntur, hoc ipso destructa & ablata supponuntur. Unde Propheta post verba relata statim addit: *Nec est in spiritibus eius dolus:* quod significatur, in eo, cui non imputavit Dominus peccatum, dolum, iniquitatem, sive peccatum non esse. In eodem sensu charitas dicitur operire multitudinem peccatorum, quia ita illa destruit quoad poenam, si sit fervens, ut nihil eorum iustitiæ divinæ offeratur puniendum, ut docet D. Thomas in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. ad 2. his verbis: *Charitas dicitur operire peccata Deo, qui omnia videt: unde oportet quod ea destruat, non quidem faciens ut actus non precesserit, sed quod vim impediendi gratiam non habeant.*

Obijciunt secundo: Si peccata in iustificatione totaliter destruerentur, nunquam redirent: Sed interdum redeunt, ut significari videtur Matth. 18. ubi Dominus a servo denovo peccante exigite omne debitum, quod antea dimiserat: Ergo &c.

Respondeo distinguendo Minorem: Peccata interdum redeunt, formaliter & secundum suas maculas proprias, nego Minorem: virtualiter & secundum quid, quatenus peccatum subsequens ratione ingratitude contra Deum remittentem peccata priora est aliquo modo majus, ut exponit D. Thomas 3. p. qu. 82. art. 1. concedo Minorem, & nego Consequentiam: quia ut peccata sint verè dimissa & sublata, satis est, quod formaliter & secundum proprias maculas non redeant.

ARTICULUS II.

An iustificatio fiat per introductionem formæ inherentes, vel per solam iustitiam Dei, aut Christi nobis imputatam?

Hæc nobis rursus manus cum hæreticis conferenda sunt: illi enim, ut articulo præcedenti annotavimus, non solum docent in iustificatione peccata verè & propriè non remitti, seu deleri, verum etiam allerunt illam dari formam intrinsicè iustificantem, sed impium iustificari, vel per iustitiam, qua Deus iustus est, vel per iustitiam Christi ipsi imputatam extrinsecè. Pro huius erroris impugnatione, & veritatis Catholicæ impugnatione, fit

S. I.

Catholica veritas auctoritate & ratione stabilitur.

Dico igitur: Causa formalis nostræ iustificationis non est iustitia Dei, vel Christi nobis imputata, sed realis & interna quadam iustitia, per quam interiorius renovamur & sanctificamur, atque ab omnibus peccatorum sordibus realiter emundamur.

Hæc etiam conclusio est certa de fide, & definita in Tridentino sess. 6. cap. 7. his verbis: *Veneranda formalis causa (iustificationis impii) est iustitia Dei, non quæ ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non solum reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes, &c.* Item

Item Canone 11. anathema dicitur ei, qui dicitur: homines iustificari solâ imputatione iustitiæ Christi exclusâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per spiritum s. diffundatur, atq; illis inhereat.

14. Eadem veritas colligitur ex Augustino lib. de spiritu & lit. cap. 9. ubi explicans verba hæc Apostoli, *Iustitia Dei manifesta est, ita loquitur non dicit Apostolus, iustitia hominis, sed iustitia Dei, non quia Deus iustus est, sed quia induit hominem, cum iustificat impium.* Et cap. 37. expendens hæc verba Apostoli, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, subdit: *Charitas diffunditur in cordibus nostris, non quia nos ipse diligit, sed quia nos facit dilectores suos, sicut iustitia Dei ita dicta est, quia iusti ejus manere efficiuntur.*

15. Potest etiam suaderi conclusio quadruplici ratione. Prima est: Apostolus ad Rom. 5. comparat iustitiam & obedientiam Christi cum peccato & inobedientia Adami: Sed peccatum Adami realiter à nobis contrahitur, nec enim dicimur peccatores per hoc solum, quod peccatum primi parentis commissum in paradiso terrestri nobis imputetur, sed quia in anima cuiusque, quando concipitur, realis macula & iniquitas reperitur, ut in Tract. de peccatis ostendimus, agendo de peccato originali: Ergo iustitia, quæ tali peccato opponitur, illudque ab homine expellit, non debet esse quid externum & imputativum, sed internum & reale in anima; cum ex Philosopho contrariis eadem sit ratio.

16. Confirmatur: Christus restituit nobis quod perdidimus in Adamo: Sed in Adamo perdidimus iustitiam intrinsecam, nimirum iustitiam originalem, quæ erat forma aliqua, seu perfectio inherens anime Adami, quam transfudit in omnes suos posteros, si non peccasset: Ergo Christus per justificationem nobis communicat formam aliquam, seu qualitatem intrinsecam, à qua iusti denominamur.

17. Secunda ratio: Justificatio peccatoris provenit tanquam à causa, à dilectione Dei supernaturali, quæ diligit hominem in ordine ad vitam æternam: Sed à tali dilectione forma aliqua intrinseca & supernaturalis in homine derivatur, ut ostendimus in Tract. de gratia: Ergo justificatio impij fit per aliquam formam, seu qualitatem inherentem, & non per solam iustitiam Dei aut Christi nobis imputatam.

18. Tertia ratio: In justificatione homo adoptatur in filium Dei, ut constat ex Tridentino sess. 6. de iustific. cap. 4. ubi ait quod justificatio impij est translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum: Sed filiatio adoptiva Dei fit per aliquam formam intrinsecam, ut docet D. Thomas 3. p. qu. 23. art. 1. his verbis: *Hoc autem plus habet adoptio divina, quâ humana, quia Deus hominem, quem adoptat, idoneum facit per gratiæ munus ad hereditatem cœlestem percipiendam; homo autem non facit idoneum eum, quem adoptat, sed potius eum iam idoneum eligit adoptando:* Ergo justificatio impij fit per receptionem alicujus formæ intrinsecæ & anime inherētis, nimirum gratiæ & charitatis.

19. Ultima ratio: Causa formalis & efficiens non possunt in unam, eandemque rem coalescere, nempe formalis interna sit, efficiens verò externa: Sed iustitia Christi est causa efficiens nostræ justificationis; principalis quidem in ratione meriti instrumentalis verò in ratione

realis efficientiæ, ut in Tract. de incarnatione ostenditur: Ergo non potest esse causa formalis nostræ justificationis.

Confirmatur: Cùm iustitia Dei, vel Christi sit semper æqualis, nec suscipiat magis & minus, si homines essent iusti per solam imputationem iustitiæ Dei, vel Christi, omnes essent æqualiter iusti, subindeque æquales in beatitudine, contra illud Christi, *in domo Patris mei mansiones multe sunt.*

Neque valet si dicas, iustos esse inæquales in iustitia propter inæqualitatem fidei, quæ creditur sibi imputari iustitiam Christi, illamque ad se trahunt, & veluti manu apprehendunt. Cùm enim juxta hæreticos iustitia Dei, vel Christi sit causa formalis nostræ justificationis, B fides verò solum conditio applicans, per hanc responsum non evitatur prædictum inconveniens: siquidem cùm aliqua forma est eadem, vel æqualis in pluribus subjectis, tamen conditio ipsam applicans inæqualis sit, idem vel æqualis est effectus formalis quem subjecto tribuit, ut potest cùm ille nihil aliud sit, quam ipsamet forma, ut communis est subjecto.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijciunt imprimis hæretici plura Scripturæ loca, in quibus videtur innuati justificationem fieri formaliter per iustitiam Christi nobis imputatam. In primis ad Roman. 5. dicitur: *Per unius iustitiam in omnes homines in justificationem.* Et iterum: *Per unius obedientiam iusti consequentur multi.* Et 1. ad Corinth. 3. Christus dicitur factus nobis *iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Item Jeremia 23. vocatur *Iustus noster*, sive ut habetur in Hebræo *iustitia nostra*: Ergo ex Scriptura homo non iustificatur per aliquam formam, seu iustitiam sibi intrinsecam, sed tantum per iustitiam extrinsecam Christi ipsi imputatam. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 10. reprehendit eos, qui suam propriam iustitiam volunt statuere, dicens: *Ignorantes iustitiā Dei, & suam volentes statuere, iustitia Dei non sunt subiecti.*

Confirmatur: Scriptura varijs in locis asserit D hominem non esse iustum coram Deo: Psalm. 142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Job 9. *Non iustificabitur homo composuit Deo:* At hæc falsa essent, si homo haberet iustitiam sibi intrinsecam: Ergo non est iustus per aliquam iustitiam sibi inherentem, sed tantum per extrinsecam Dei aut Christi iustitiam.

Addunt hæretici, fieri injuriam iustitiæ Christi, si dicamus illam non esse sufficientem ad iustificandos omnes homines, sed præter illam requiri iustitiam aliquam intrinsecam, quæ sit causa formalis nostræ justificationis, nempe gratiam habitualement.

Ad objectionem respondeo, illa & similia Scripturæ loca non esse accipienda in sensu formali, sed causali, solumque significare Christum esse causam efficientem, vel meritoriam nostræ justificationis. Nam ibidem dicitur Christum esse nobis sapientiam. Et Joan. 1. Christus ait: *Ego sum resurrectio & vita.* Item Deuter. 3. Moyses de Deo loquens dicebat Hebræis: *Ipse est vita tua, & longitudo dierum;* & tamen nullus dicit, hæc verba in sensu formali esse accipienda, cùm certum sit Christum non esse id quo formaliter reddimur intelligentes & sapientes; & hominem vivere per formam, & vitam sibi intrinsecam.

fecam, scilicet animam rationalem, non vero A per vitam extrinsecam Dei, vel Christi.

Ad id, quod additur ex Apostolo, dicatur, Paulum hoc loco invehire in eos, qui in iustitia viribus naturæ, aut operibus legis Mosæ comparata confidebant; quales ipsi primitiva Ecclesia erant Pharisæi, & alij Judæi, qui credebant se justificari per observationem legis naturæ & Mosæ: non autem reprehendere eos, qui existimant homines justificari per iusticiam interuam meritis Christi comparatam.

24. Ad confirmationem dicendum est, Scripturam his locis salum asserere, iusticiam nostram, comparative ad iusticiam Dei, esse quasi nullam, aut nullam apparere, sicut esse creaturam ad esse Dei comparatum, nullum, seu non esse dicitur Isaia 40. Unde Gregorius in op. 4. Job: *humana iustitia* (inquit) *divine iustitie comparata, iniustitia est: quia & lucerna in tenebris lucere cernitur, in solis radio posita tenebratur.*

25. Ad aliud quod addunt heretici, nempe fieri injuriam iustitie Christi, si dicamus nos justificari per aliquam iusticiam nobis intrinsecam; neganda est illa sequela: nam tantum abest, quod per hoc derogetur iustitie Christi, quin potius magis respiciet dignitas, & excellentia meritorum ejus, si virtute illorum nobis communicetur iustitia inherens, per quam sumus formaliter iusti. Unde Tridentinum postquam sess. 6. can. 11. definit homines non justificari solâ imputatione iustitie Christi, sed per gratiam & charitatem per Spiritum S. diffusam, ac nobis inherentem, tandem canone ultimo sic concludit: *Si quis dixerit, per hanc doctrinam aliquam ex parte gloria Dei, vel meritis Iesu Christi Dominum nostrum derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique, ac Christi Iesu gloriam illustrari, anathema sit.*

26. Obicit secundo Calvinus: Iustitia, qua iusti sumus coram Deo, debet esse ita perfecta, ut dicatur tam perfectam commensurationem cum divina lege, quod nihil admittat, aut compatiatur ei repugnans; iustum enim dicimus, quod ad aequitatem suam regulatur, regula autem hominis est lex divina: Sed non potest tanta perfectio iustitie in nobis intrinsece reperiri, nam ut dicitur Job 3. *Si iustificare me volueris, reprehendet me cor meum, & si volueris contendere cum eo, non respondebit unum pro mille.* & 1. Joan. 3. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Ergo iustitia, qua perfecte saltem & complete iusti sumus, non est in nobis; ac proinde necesse est recurrere ad iusticiam Christi nobis imputatam, in qua sola potest perfecta illa adequatio cum divina lege reperiri.

27. Respondeo tantam posse esse in nobis intrinsecam iustitie perfectionem, ut ex ea nata sit haberi perfecta commensuratio & adequatio actuum nostrorum cum divina lege quoad omnia, quæ præcipit; sed in virtutibus esse in statu imperfecto ex defectu luminis gloriæ, & visionis beatificæ, quibus privamur, ut aliquandiu per fidem ambulemus, priusquam per speciem: unde non facit actum perfectam & completam adæquationem cum divina lege, nisi solum prout obligat sub mortali, quamdiu est in statu viæ (excluso privilegio beatissimæ Virginis concessio) sed solum in statu gloriæ, ubi mediò lumine gloriæ, quod ex se emittit, mentem & affectum in Deo firmabit, & sic reddet totum hominem indefectibilem.

Objicies tertio: Remissio peccatorum nihil aliud est, quam eorum condonatio, ut patet ex remissione offensæ, quæ fit inter homines; ut enim homo remittat alteri offensam, sufficit quod velit eam ipsi condonare: Sed condonatio in Deo non dicit aliud, quam actum divinæ voluntatis, quo vult peccata remittere, & Christi satisfactionem pro nostris peccatis applicari: Ergo remissio peccatorum non fit per formam intrinsecam receptionem, sed solum per imputationem iustitie Christi nobis per fidem applicatam.

Respondeo concessâ Majori, distinguendo Minorem. Condonatio in Deo non dicit aliud, quàm actum divinæ voluntatis sterilem & infructuosum, nego Minorem: secundum & producentem formam intrinsecam expellentem peccatum ob merita Christi, concedo Minorem. Unde hoc interest discriminis inter Deum & hominem condonantes offensam, quod homo condonat alteri offensam actu sterilem, Deus vero actu fecundo: primo, quia Deus condonando offensam debet reddere eum, cui offensam remittit, obiectum congruum suæ dilectionis, seu condonationis, quod non debet facere homo, cum amor humanus non ponat, sed supponat in suo obiecto bonitatem, bene autem divinus: secundo, quia offensam non remittitur alicui, nisi eam retractet; homo autem habet ex se sufficientes vires ad retractandam offensam in alium hominem commissam, secus verò ad retractandam offensam Deo illatam; & sic actus Dei condonantis offensam homini, debet ei conferre, unde possit eam retractare, & pro ea aliquantulum satisfacere; quod non debet facere actus hominis alteri homini offensam condonantis.

§. III.

Corollaria notata digna.

EX dictis inferes primo, gratiam habitualementem non ex favore extrinseco, sed ex intrinseca sua vi & natura habere hunc effectum expellendi peccatum, non solum quatenus est malum hominis & causat maculam in anima, sed etiam prout est offensam & injuriam Dei; subindeque præter beneficium gratiæ habitualis non requiri ad justificationem & remissionem peccatorum favorem extrinsecum Dei, quo offensam condonetur.

Prima pars hujus corollarii est contra Scotum & Nominales, qui docent remissionem peccati solum ex lege Dei esse conjunctam cum gratiæ infusione, ac proinde ipsam non expellere formaliter peccatum ex ipsa rei natura, sed ad summum ex institutione Dei, qui decrevit nulli permanenti in statu peccati illam formam infundere, seu ad præsentiam talis formæ semper expellere peccatum. Quæ sententia facile confutari potest ex supra dictis: ostendimus enim ex Tridentino gratiam esse causam formalem nostræ justificationis: Sed non posset verè dici causa formalis ejus, si ab intrinseco, & ex natura sua non haberet constituere iustum, & remittere peccatum: Ergo &c. Minor probatur: Quicumque effectus formalis ex natura rei connectitur cum causa formali, imò est ipsa forma ut communicata subjecto: Ergo si justificatio & remissio, seu expulsio peccati solum ex lege Dei sit conjuncta cum gratiæ infusione, illa non potest verè dici causa formalis illius: sicut si Sol non haberet virtutem illuminandi effectivè, licet Deus ex lege, seu pacto ad præsentiam Solis

Solis illuminaret, non posset verè dici Sol causa efficiens luminis. Unde Philosophi, qui docuerunt causas secundas non habere virtutem agendi ex natura sua, sed Deum ad præsentiam illarum agere, consequenter dixerunt causas secundas non esse verè causas efficientes, sed solum condiciones necessarias, ad quarum præsentiam Deus operatur.

Confirmatur primò: Gratia habitualis est participatio divinæ naturæ & sanctitatis, unde sanctificans appellatur; Ergo sicut natura & sanctitas Dei, ipsum ab intrinseco constituunt iustum & sanctum per essentiam; ita gratia habet ex natura sua constituere iustum, & sanctum per participationem, subindèque expellere peccatum ab anima.

Confirmatur secundò: Gratia in Scriptura vocatur lumen, seu splendor; peccatum verò dicitur tenebra, ut patet ex illo 2. ad Corinth. 6. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? & ex isto 1. Petri 2. Qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum:* Sed lux ex natura sua opponitur tenebris, & illas expellit: Ergo & gratia ex sua natura expellit peccatum, & non solum ex lege Dei extrinseca.

Confirmatur tertio: Peccatum habituale, seu macula peccati, consistit in privatione gratiæ, ut connotante actum præteritum à quo causata est, ut in Tractatu de peccatis docuimus: Sed quæcumque forma positiva ex natura sua expellit privationem sibi oppositam: Ergo gratia ex natura sua expellit peccatum, saltem ut est malum hominis, & causat maculam in anima.

Quod verò etiam tollat illud, quatenus est offensæ & injuriæ Dei, probatur ex Tridentino sess. 7. can. 7. ubi dicitur: *Si quis per Iesum Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti neget: aut etiam asserat non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, anathema sit.* Quibus verbis expressè & clarè definit, remissionem peccati, quoad omnem rationem, fieri per gratiam inhaerentem; qui autem totum dicit, nihil excludit: Ergo ex Tridentino non solum deformitas maculæ, sed etiam ratio injuriæ & offensæ Dei in peccato reperta, per gratiam habitualement aufertur.

Ratio etiam id suadet: Nam per talem gratiam reddimur amici Dei, & ipsi grati: eodem verò actu quo Deus in sui amicitiam admittit impium, & pacatur illi, remittit injuriam, & non remanet offensus: sicut in humanis homo cum offendentis pacatur, sine nova benevolentia aut favore remittit injuriam, aliàs non diceretur amicus aut pacatus.

Ex his probata manet secunda pars corollarum: si enim gratia habitualis ex intrinseca sua vi & natura expellat peccatum, secundum omnem rationem in eo repertam, certè ad justificationem seu remissionem peccati, præter beneficium gratiæ habitualis, non requireretur favor extrinsecus Dei, quo offensæ condonetur. Unde Suarez contradictoria sentit, & scribit, simulque calidum & frigidum spirat, dum tomo 3. de gratia lib. 7. cap. 1. 2. concl. 2. expressè docet gratiam non ex favore extrinseco, sed ex intrinseca sua vi & natura expellere peccatum ab anima; & nihilominus postea tomo 1. in 3. p. disp. 4. sect. 2. §. ad primum verò, ait, quod cum beneficio gratiæ inhaerentis simul etiam requiritur divina

Tenus IV.

con donatio, & remissio injuriæ ad justificationem. Quod non solum videtur priori dicto contrarium, sed etiam Tridentini doctrinæ repugnans: nam Tridentinum sess. 6. cap. 7. sic ait: *Unica formalis causa nostræ justificationis est iustitia Dei, non quod ipse iustus est, sed quia nos iustos facit: At si præter infusionem gratiæ, & acquisitionem iustitiæ internæ, requireretur novus favor, aut condonatio extrinseca, ad conclusionem peccati, non unica esset causa formalis nostræ justificationis, sed duplex, nempe iustitia inhaerens, & favor ille extrinsecus: Ergo, &c.* Unde Vazquez hic disp. 2. cap. 2. in hanc sententiam, acriter his verbis invehitur: *Recentiores Theologi magis miratus sum, quod post præclarum Concilium Tridentinum definitionem, tam exilem iustitiam inhaerentem iustus conceperint, ut ex se non habeat virtutem tergendæ maculas, neque eas purgare valeat, nisi favore & condonatione Dei relaxentur: si enim eorum sententia rectè expendatur, veram rationem iustitiæ inhaerentis è medio tollere videntur, quam Patres Tridentini pro viribus asseruere & defendere moliri sunt.*

Inferes secundò contra hæreticos nostri temporis, præcipuè contra Calvinum in antidoto ad sess. 6. Concilii Tridentini, & lib. 3. instit. cap. 1. justificationem impii non solum importare remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem, & renovationem interiorem. Ita expressè docet Tridentinum sess. 6. cap. 7. his verbis: *Hanc dispositionem seu preparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est solum peccatorum remissio, sed etiam sanctificatio & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.*

Ratio etiam suffragatur: Nam ut articulo sequenti dicemus, justificatio fit per infusionem gratiæ habitualis, quæ est causa formalis illius: Sed acquisitio gratiæ non solum est remissio peccati, sed etiam vera renovatio interior, & sanctificatio; nam per acquisitionem gratiæ homo transit à vetustate peccati, ad novitatem vitæ & morum, juxta illud ad Ephel. 4. *Renovamini spiritu mentis vestræ; & similiter sanctificatur & mundatur, ut patet ex illo 1. ad Corinth. 6. Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis:* Ergo justificatio non solum importat remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem & renovationem interiorem hominis.

Inferes tertio, in justificatione, ut est motus, principaliorē partem, seu principaliorē mutationem, esse renovationem interioris hominis: Nam in omni motu propriè dicto principalior est acquisitio termini ad quem, quàm expulso termini à quo; cum prior sit per se intentus, posterior verò solum per accidens: Sed remissio peccati se habet in justificatione per modum termini à quo; acquisitio verò gratiæ, per quam homo interiorius renovatur, est terminus ad quem justificationis: Ergo ex duabus mutationibus quæ includuntur in justificatione, scilicet remissione peccatorum, & renovatione interiori hominis, ista erit principalior. Quod significat Apostolus ad Rom. 4. dum ait de Christo: *Traditus est propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem:* id est, passus est propter remissionem peccatorum, & resurrexit propter renovationem interiorem, factam per gratiam; quare subdit: *ut in novitate vitæ ambulemus.* Unde ostendere vult justificationem nostram potius consistere in renovatione peccatorum; aliàs dixisset Christum resurrexisse propter justificationem

S

nem

nem nostram, ut peccata remitterentur, non verò ut in novitate vitæ ambularemus. Huic expositioni favet Augustinus in Enchirid. cap. 52. dicens: *Quemadmodum in illa vera mors facta est, ita in nobis vera peccatorum remissio facta est: & quemadmodum in illo vera resurrectio fuit, in nobis vera justificatio est.* Ubi justificatio comparatur resurrectioni, per quam acquiritur nova vita: & hoc quia justificatio principaliter consistit in renovatione interiori hominis.

ARTICULUS III

An sola gratia habitualis, sit causa formalis justificationis?

41. Vazquez hic disp. 203. cap. 3. & sequentibus, affirmat actum contritionis & charitatis habere in seipso vim justificandi formaliter; & licet de facto hunc omnes qui justificantur, recipiant habitum gratiæ, tamen quia solam definitum est ab Ecclesia, justificationem fieri in nobis per justitiam inhaerentem; & quæ dicuntur de gratiæ inhaerente, possunt etiam intelligi de ipso actu contritionis, & satisfieri Ecclesiæ definitioni, si in his qui sunt capaces contritionis, ipsa contritio dicatur esse causa formalis justificationis.

42. Hæc sententia communiter rejicitur à Theologis, asserentibus actus charitatis & contritionis perfectæ, esse quidem proximas dispositiones ad obtinendam remissionem peccatorum, non tamen causam formalem justificationis impii, sed id soli gratiæ habituali convenire. Imò Suarez tomo 1. in 3. p. disp. 4. sect. 8. censet illam opinionem Vazquezij esse temerariam, & Tridentini doctrinæ parum consentaneam. Sunt tamen aliqui, qui Vazquem excusare, ejusque doctrinam temperare, & benignè interpretatione emolliere conantur, dicendo ipsum non loqui de facto, sed de possibili, & solùm velle actum contritionis vel charitatis de lege extraordinaria, & per ordinem ad potentiam Dei absolutam, esse posse formam justificantem in adulto, qui extra Sacramentum per actus contritionis & charitatis justificatur. Sed hæc interpretatio menti hujus Authoris aperte contradicit; ille enim 3. p. tomo 1. disp. 2. cap. 6. num. 66. hæc scribit: *Memini autem contritionis, quia in adulto qui justificatur extra Sacramentum, magis certum est eum justificari contritione, quam gratiæ habituali, ut ostendimus 1. 2. disp. 203. cap. 3.* Quibus verbis aperte declarat Vazquez, quid senserit in prima secunda, & inquit se sensisse, adultum extra Sacramentum justificari contritione, & hoc esse certius, quam quod justificetur gratiæ habituali. Ut confutetur hæc sententia, & vera causa formalis justificationis declaretur, sit

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

Dico igitur, actus contritionis vel charitatis non esse causam formalem justificationis, sed id soli gratiæ habituali competere.

43. Probatur primò: Actus contritionis vel charitatis est dispositio ad formam justificantem: Ergo non est ipsa forma justificans. Consequentia patet: forma enim non est dispositio ad sei-

A psam; cum inter dispositionem & formam exerceatur aliqua causalitas, subindeque inter illas reperiatur realis distinctio. Antecedens verò docetur communiter à Theologis, præsertim à D. Thoma hic art. 5. & 8. de verit. quest. 28. art. 8. ad 1. & 2. colligiturque ex Tridentino sess. 14. cap. 4. dicente, *Contritionis motum præparare ad remissionem peccatorum, si conjunctus sit cum fiducia divini misericordie.*

Dices cum Vazque, Concilium per contritionis motum intelligere contritionem illam imperfectam, quæ dicitur attritio.

Sed contra primò: Concilium ibi loquitur de contritione quam justificatio ipsa consequitur, sive cum reali susceptione Sacramenti, sive in voto: Sed extra realem susceptionem Sacramenti, justificatio non consequitur ad attritionem, ut de se constat: Ergo Concilium per contritionis motum non intelligit contritionem illam imperfectam, quæ dicitur attritio.

Contra secundò: Concilium ibi loquitur de contritione quovis tempore necessaria ad remissionem peccatorum, ait enim: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius:* Sed attritio non fuit quovis tempore necessaria ad veniam peccatorum; nam ante legem Evangelicam extra Sacramentum non requirebatur, & cum Sacramento non sufficiebat: Ergo non loquitur ibi de attritione, sed solùm in fine ejusdem capituli, ubi ait: *illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, &c.*

Confirmatur ex eodem Tridentino sess. 6. 46. can. 3. ubi sic habetur: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere sperare, aut penitere posse, sicut oportet: & ut ei justificationis gratia infundatur, anathema sit.* Quibus verbis Concilium expresse docet actus dilectionis & penitentiae fieri ut justificationis gratia infundatur: Ergo tales actus non sunt ipsa gratia justificationis, nec consequenter ipsa forma justificans; aliàs sensus Concilii esset, quod sunt isti actus, ut ipsimet infundantur, si ipsi sunt forma justificans, quod est absurdum.

Confirmatur ampliùs: Causa formalis justificationis non impetrat veniam & remissionem peccatorum, sed illam formaliter causat: Atqui actus contritionis non causat formaliter veniam & remissionem peccatorum, sed eam duntaxat impetrat, ut patet ex eodem Tridentino, dicente loco supra citato: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius:* Ergo actus contritionis non est causa formalis justificationis.

Probatur secundò: Habenti actum contritionis 48. promittitur in Scriptura indulgentia & remissio peccatorum: Sed si talis actus esset forma justificationis & remissionis peccatorum, superflua & vana esset talis promissio: Ergo talis actus non est causa formalis justificationis. Major patet ex illo Jerem. 3. *Convertimini filij revertentes, & sanabo vos;* & ex illo Isaiæ 55. *Derelinquat impius viam suam, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus;* Item ex illo Psalmi 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Minor verò probatur: Habenti formam superflue & in vanum promittitur effectus formalis illius; cum talis effectus nihil aliud sit quam ipsamet forma, ut communicata subiecto; verbi gratiæ, si quis diceret,